Besold, Christoph: Thesaurus Practicus Christophori Besoldi ...: Non solum explicationem Terminorum atque Clausularum ...
Nürnberg, 1679 Seite 389

per eas, quæ de sua desperarunt. Paulus *1. sent. 17. §. ult.* Niell. *D. ult. thes. 6. lit. D.* vide omninò hîc Bocer *de quæst. & tort. p. 244. seqq. & in fine facti speciem n. 1. 2. 3. 4. 5.* Exploratio quoque venificarum & sagarum per aquam frigidam vana & superstitiosa est. Bocer *de quæstionibus & tort. pag. 249. seqq.* Gödelman. *de Mag. lib. 3. c. 5. num. 35.* Dn. Ludw. *Disp. ad Inst. pag. 390. ibiq; allegati.* Sagarum & Sortilegorum bona an confiscari possint? Klock. *de ærario l. 2. c. 85. n. 34. usque ad finem.* Sagæ & malefici tantò pejores sunt, quantò divinam Majestatem, quàm humanam lædere detestabilius: *cap. 8. num. 41. 42. 88. 90.* Corporibus sagarum signa quædam, sive notæ impressæ reperiuntur, ita ut in uno oculo habeant speciem equi, in altero autem duas pupillas. Quibusdam etiam veneficis inter labia quandam esse notam ferunt, aliquibus autem sub palpebris, aliis ad dextrum humerum: fœminis autem plerunque ad femur sub axillâ, aut membris genitalibus. vide Crus. *de indic. part. 2. c. 32. n. 40.* ubi refert exemplum septem juvenum, qui certo pacto se commiserunt Sathanæ, quorum aliquis sponte consessus est, socium, quem Sathan abducere destinarat, notasse primum pustulis atris, postea totum ejus corpus instar Æthiopis denigrasse. Et refert Berlich. *4. concl. 4. n. 154.* notam illam, ut plurimum habere signum sive vestigium leporis, & locum illum, ubi insusta est, prorsus sensus esse expertem, ut, quamvis acus ad ossa usque indatur, tamen saga vel venefica nullum omninò sentiat dolorem nec sanguis inde profluat. Notam hanc sagæ communiter vocare solent ein Teuffelskratz. Non enim satis habere diabolum, si disertis verbis homines Deo renunciaverint, sed notam eis insuper, & stigma in signum initi fœderis imprimere, tradit Ostermannius *in tr. de stigmatibus sect. 8. pag. 24.* ubi etiam secundum ejusmodi stigmata sæpius judicatum fuisse refert.

Emigrationes sagarum ad choreas, & conspectus quarundam fœminarum in ipsis choreis pro mero phantasmate & illusione diabolica habetur. Bocer *in tract. de qu. & tortur. in fine annexâ facti specie n. 6.* Sagæ operâ diaboli ad cœtus nocturnos & choreas an corporaliter transportentur. *n. 7. ibiq; allegati,* Theodor. *in colleg. crim. disp. 4. thes. 3.* Cibus à suspecta de veneficio datus persona, à pluribus sumtus, qui ex ipso confestim esu varias corporis passiones sustinuerunt, judicium aliquod de veneficio contra ipsam personam præbet: at non semper. *d. l. n. 21.* Quæstionis est valdè controversæ: An conceptis precum & verborum formulis appendendo, cantando, orando, numerando curare morbos expediat & liceat? vide Waltherum *de privil. Dd. pag. 211. & seqq.* Ad *l. 4. C. de malef.* respondet Jacob. Cujac. *lib. 27. obs. c. 17.* posteriorem partem illius Legis meritò displicere bonis, ubi probantur amuleta, carmina & alia magica contra grandines & calamitates frugum morborumve humanorum genera. Quæ pars Legis etiam rectè abrogata *à Leone in N. 65.* cujus Novellæ quidem, licet in Imperio Romano nunquam receptæ sint, ut testatur Cujac. *lib. 17. obs. cap. 31.* tamen ubi rationes justæ sunt, & juri communi concordantes, non planè seponendæ, sed vel maximè considerandæ sunt, eodem Cujac. *teste d. loc.* Arum. *Exerc. 2. Inst. th. 15.* Walther. *d. l. pag. 214.* Pac. *in Anal. Cod. pag. 1009. num. 2.* dicit, Magos damnari, si contra salutem hominum, vel pudicitiam, vel agriculturam aliquid moliantur, non item, si prosint, veluti si faciant, ne segetes corrumpantur. *l. 4. 5. 6. 7. C. de maleficis.* unde ultima verba *l. 4. de precibus* in lustratione agrorum nonnulli capiunt. Sed rectius, pergit *Pacius, Leo Imp. Nov. const. 65.* omnes magorum incantationes in quemcunque finem adhibitas condemnat, pœna mortis irrogata. Idcircò posterior pars *d. l. 4.* quæ est *in vers.* nullis, tanquam meritò à Leone correcta, in Basilicis prætermissa est. Delrio *lib. 5. disquis. Magic. sect. 16. n. 55.* Bernhard. Autumnus *in collat. juris Romani & Gallici ad tit. de malefic. p. 502.* hinc nec ad Astrologos judiciarios, aut chiromanticos pœna mortis trahi potest, Farinac. *lib. 1. t. 3. quæst. n. 89.* ait, hanc rigorosam mortis pœnam & confiscationem bonorum non servari. Diabolus sagis tradit minutum pulverem & triplicem quidem diversis coloribus distinctum: Atri, ad mortem, cineritii, aliquando etiam ruffi ad morbum tantùm procurandum, & albi coloris ad curationem morbo sic affectis adhibendâ, si ita ipsis libeat: Hunc autem pulverem ejus esse efficaciæ contendunt, ut si leviter saltem in vestes exterius cujuscunq; spargatur, tùm eum certissimè aut in morbum gravem incidere, aut etiam mortem oppetere, nisi singulari Dei benignitate ab illorum injuriis quis protegatur. Theodor. *in colleg. crim. disp. 4. thes. 3.* Von Hexentrunck agit Nic. Brand. de legitima maleficos & sagas investigandi & convincendi ratione *part. 2. thes. 45.* Solent Carnifices ad extundendam à veneficis veritatem potum ipsis ingerere hoc modo confectum 1. assumunt ein Trunck Bier. 2. Ein wenig gerieben Brod. 3. Ein Hechtcreutz klein gestossen. 4. Ein Hechtgalle/ und 5. ein wenig schwartzen Kümmel. Dieses alles wird zusammen gemischet/ ein wenig warm gemachet/ und also den Hexen eingegeben/ ut ex protocollis & dispositionibus perceptum est. Choreæ lamiarum an semper pro elusionibus Sathanicis habeantur, Dn. D. Tabor *de Confrontatione, disp. 5. c. 1. thes. 11. & 12. pag. 136.* An venefici communiter visum habeant obliquum. *disp. 1. thes. 4. pag. 5.* Venefici terram libentius, quàm cœlum intuentur. *disp. 1. th. 4. p. 5.* Egregiè in Sagam quandam *Steuccius:*

Est anus, inferno vel formidanda barathro,
Saga diu magicis usa magisteriis.
Hæc inhians ovis gallinâ matre creatis,
obsipat assueto pharmaca mixta cibo.
Pharmaca queis quæcunq; semel gallina voratis
Ova decem pariat, bis decies q; decem.
Fortè superveniens Canis has dum devorat escas
atq; simul magicâ pharmaca mixta manu:
(mira canam, sed vera) graves in ventre dolores
concipit, ac prægnans ova triginta parit.
Hem! modò plumipedes pepererunt ova volucres:
Saga quid possunt! nunc parit ova canis.

Der Grätterische Kröten stein ist dem Vieh

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/drwBesold1679/0402